

1285.

135.

*Die Procuratoren des heiligen Geist-Hofes zu Magdeburg beurkunden, dass Werner Rike, Bürger zu Magdeburg, dem h. Geist-Hofe die Hälfte einer ihm zugehörigen Apotheke daselbst unter der Bedingung vermacht habe, dass davon jährlich 6 Schilling an das Kloster Berge gegeben werden.*

In nomine sancte et individue trinitatis. Nicolaus Stochvisch, pannicidarum Magdeburgensium magister, Anno Reinbodonis, Christianus filius Bartolomei, Heindenricus Ghizinlius, procuratores domus sancti spiritus ibidem, omnibus tam presentibus quam futuris hanc litteram inspecturis in perpetuum. Quoniam ea que geruntur in tempore simul cum tempore labuntur, poni solent in lingua testium et scripti memoria perhennari. Hinc est quod nos procuratores prefate domus recognoscimus et tenore presentium protestamur, quod Wernerus dictus Dives concivis noster quandam proprietatem delegavit pro remedio anime sue domui sancti spiritus in Magdeburg sitam in ponte Isaschen, scilicet medietatem unius apothece eiusdem, condicione tali, quod procurator predictae domus sancti spiritus, quicumque fuerit pro tempore, dabit ecclesie sancti Iohannis baptiste extra muros Magdeburgenses sex solidos, tres in pasca, tres in communibus, annis singulis persolvendos. De his vero solidis sex denarii dabuntur ad custodiam predictae ecclesie in anniversario prefati Weneri pro tribus luminaribus in vigiliis cantandis accendendis et altera die, quando missa celebrabitur pro defunctis. Vult autem sepe dictus Wernerus narratam proprietatem cum censu totali inde exeunte quoad vixerit libere possidere. Testes huius rei sunt: Hermannus schultetus, dominus Iohannes Hidde miles, Sigifridus de Helmstede, Bartoldus de Roneburch, Reinerus apud sanctum Petrum, Henningus filius Iohannis, Bruno Iosasche, Heine Hunger, Iohannes Brunonis, Conradus dictus miles, Arnoldus Horuch, Conradus Longus et alii quam plures eiusdem incole civitatis. Vt autem hec donatio maneat inconvulsa, presens scriptum sigillo iam dicte domus sancti spiritus Magdeburgensis fecimus communiri.

Datum anno domini MCCLXXXV, concurrente VII, epacta XII.

*Abschrift im Privilegienbuche S. 238. 239 mit der Ueberschrift: Magdeburgi procurator domus sancti spiritus VI solidos dat. J XVII.*

Magdeburg, 1287, Februar 7.

136.

*Bodo, Abt zu Berge, transsumirt zwei Urkunden a) des Erzbischofs Erich von Magdeburg vom 21. Juni 1285 und b) des Grafen Albrecht I. von Anhalt vom 8. Juni 1282 bezüglich des dem Frauenkloster zu Coswig übertragenen Kirchenpatronats zu Hohen-Köthen.*

Nos Bodo dei gratia abbas ecclesie sancti Iohannis baptiste in monte Megdeburhe continencia presencium protestamur, quod venerabilis